



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theses Historico-Theologicae Pertinentes Ad Anteriores Theses De Gratia, Peccatis Ignorantiae, Probabilitate & Charitate

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1683?]

Conclusio Tertia. Detegitur quidam Sophisticus Adversariorum modus
accusandi Lovanienses in materiâ Gratiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40464

CONCLUSIO TERTIA.

Detegitur quidam Sophisticus Adversariorum modus accusandi Lovanienses in materia Gratia.

Adversarii nunc Lovanienses generatim, nunc aliquos vel aliquem ex illis accusant in materia Gratia; sed nunquam palam eloquuntur primum sive propriè dictum accusationis fundamentum, nec unquam accusationem extendunt ad omnes quos pariter reos censere debent. Pro quo notandum quod accusatio quæ in dictâ materia ab hinc annos aliquot contra Lovanienses continuatur non sit de ipsis quinque propositionibus famosis, sed de aliquo earum sensu condemnato. Primum istius accusationis fundamentum, dico esse quod Lovanienses teneant doctrinam *de necessitate gratia per se efficacia ad quemlibet salutarem actum*: adeoque jam non dari *merè sufficientem in sensu Molinistico*. Gratiam sufficientem voco illam præter quam ex parte Dei, nulla alia gratia requiratur, ut homo de facto convertatur, pièque operetur. Hoc & non aliud iterum dico esse primum accusationis fundamentum; nullam enim præter hanc habent rationem sive de Lovaniensibus generatim, sive de illorum aliquo, dicendi quod teneat in hac materia aliquem sensum condemnatum, neque hactenus aliam assignasse scimus, quæ nimirum sit primum accusationis fundamentum: Nam si aliam assignare velint, facile ostenderimus eam vel assignari falsò, vel assignari idcirco quod præsupponatur doctrina de necessitate Gratia per se efficacia: ut pro indubitato habendum sit primum totius accusationis fundamentum esse doctrinam de necessitate Gratia per se efficacia; hanc verò rationem ad accusationem sufficere putant Adversarii, quia per consequentias suas (quas sex-centies ostensum est esse invalidas) inde inferunt *precepta Dei aliquibus esse impossibilia, gratia Dei non resisti, Christum non pro omnibus mortuum esse, tolli libertatem à necessitate &c.* Ex quibus adeò manifestum est, quod primum accusationis fundamentum sit doctrina de gratia per se efficaci, ut non nisi cum pertinaci tergiversatione negari possit. Porro si istud sit primum accusationis fundamentum, cur Adversarii non candidè fatentur se propter illud Lovanienses accusare in materia Gratia, nisi quia studio quarunt tenebras, per quas imperitis imponant Lovanienses verè reos esse hæreticæ aut suspectæ doctrinæ, qualem nunquam audebunt vocare doctrinam de necessitate Gratia per se efficacia. Cur similiter non candidè fatentur se Lovanienses in materia Gratia accusare, quia negant, pro ut secundum doctrinam de necessitate Gratia per se efficacia negare debent, dari in hoc statu gratiam merè sufficientem in sensu Molinistico; nisi iterum quia quarunt tenebras, per quas imperitis imponant quod Lovanienses negent aliquem articulum Fidei, qualem, quidquid interim in animo sentiant, non audent apertis terminis asserere esse suam illam doctrinam de Gratia sufficiente in sensu Molinistico. Ex quibus rursus manifestum est, quod modus ille, quo Adversarii accusant Lovanienses, & de hæresi suspectos reddunt in materia Gratia, sit planè Sophisticus, quatenus primum & propriè dictum accusationis fundamentum occultant. Nunc ostendendum quod non minus sit Sophisticus quatenus accusatio non extenditur ad omnes, quos Adversarii reos censere debent. Debent namque ab omnimodâ paritate causæ reos censere illos omnes qui tradunt doctrinam de necessitate gratia per se efficacia, sive pro hoc statu tantum, sive (quod accusationem augere potius quam minuere debet) etiam pro statu altero. Accusandi ergo erunt à paritate delicti, non solum Lovanienses, sed etiam Thomistæ omnes, omnesque S. Augustini discipuli, idque sive Belgæ sint, sive Itali, sive Hispani, Galli &c. modò tradant doctrinam de necessitate gratia per se efficacia, saltem pro hoc statu. Cur ergo Lovanienses potius in hac materia accusantur, quam tot alii? Cur potius Sanctorum Augustini & Thomæ Discipuli Belgæ, quam Itali, Hispani, Galli? Sophisticus rursus est ille accusandi modus, quatenus falsò imponit quod in Lovaniensibus sit reatus aliquis, qui non est in aliis, aut aliquis in Belgis, qui non in Italis, Hispanis & Gallis.